

punctaturas absentiarum, sive carentiam distributionum, remittere possint. Ita communis. Obstat enim huic remissioni tam juris communis dispositio, cit. cap. un. h. t. in 6. obligans receptores ad earum omnium restitutionem; quam concilium Tridentinum d. sess. 24. cap. xii. *de Reform.* ibi: « Relinqui, quavis collusionem, aut remissione exclusam, his careant. »

181. *Et si secus fiat, debet episcopus eas in poenam fraudis, applicare fabricam Ecclesiae.* — Quinimo, si canonici hujusmodi distributiones sibi invicem remitterent, tunc episcopus deberet eas in poenam fraudis applicare fabricam Ecclesiae, aut alteri pio loco: prout a sacra congregatione responsum fuisse, testatur Fagnanus, ubi supra n. 91. Haud obstante, quod canonici interessentes divinis, postquam portiones non residentium perceperunt illas quibus placuerit dare valeant.

182. *Distributiones quotidianae ordinariae, amissae per non interessentes, accrescunt clericis interessentibus.* — Quæritur III. Ad quos spectent distributiones quotidianae, amissae per canonicos non interessentes officiis divinis? Resp. I. Distributiones quotidianae, ordinariae et proprie sumptae, amissae per non interessentes divinis officiis, accrescunt cæteris clericis interessentibus. Ita Glossa in Clem. 2. *¶ Pars dimidia. de Aetat. et qualitat.* etc. istud inter alia probans ex cap. un. h. t. in 6. « Nisi (inquit) esset aliter ordinatum. » Et alia Glossa in Clem. 2. *¶ Suspendus. de Vita et honest. cleric.*; Covarruvias lib. III. *Var. resolut.* cap. xiii. n. 7; Navarrus, cap. xxv. *Manual.* n. 123; Barbosa, *de Canonis et dignitat.* cap. xxii. n. 14; Azorius, part. II. lib. VII. cap. vii. quæst. 8. et 9, Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 443. et 446. citans plurimos alios, ac Rotam in una Valentina emolumentorum, coram Illustr. Mantica, 14 maii 1593. Conclusio hæc fundatur in jure accrescendi: quia enim distributiones quotidianae, et proprie dictae, constituuntur dividendae inter clericos praesentes, tanquam in mercedem et honorarium majoris diligentiae: ac novissime decrevit concilium Tridentinum sess. 21. cap. III. *de Reform.* Hoc ipso, quod isti praesentes non eveniant alios, qui secum concurrant, soli utentur distributionibus in totum: prout in simili decisum habetur l. I § fin. ff. *de Usufruct. accrescend.* et § *Si eadem res. Instit. de Legatis.* Concordat Declaratio secunda sacrae congregationis concilii, relata per Garciam

loc. cit. n. 465 asserens, quod portiones absentium accrescunt deservientibus, si ex decreto concilii sess. 21. cap. III. separatæ sunt: secus vero, si ex Decreto capit. III. sess. 22. tunc enim fabricam Ecclesiae, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio ordinarii applicabuntur.

183. *Secus, quando pro distributionibus datur certa quantitas.* — Additur notanter in conclusione, « Distributiones quotidianae ordinariae, et proprie dictae. Quales censentur esse, si certa quantitas, seu portio earum non est assignata singulis; sed omnibus ita relinquuntur, ut inter solos praesentes, ac divinis officiis interessentes, dividi debeant: tunc enim distributiones per absentes amissae, jure accrescendi debentur cæteris. Secus dicendum, quando pro distributionibus quotidianis certa quantitas, v. g. thalerus, aut determinata portio panis vel vini, assignata est: quia in hoc casu datur quidem cuilibet divinis officiis interessenti, sua determinata portio panis, v. g. aut vini, vel pecuniae; absentium vero portio non dividitur inter praesentes, sed pertinet ad Ecclesiam, atque in ejus utilitatem convertitur, vel remanet in mensa communi. Cessat quippe in tali casu quævis conjunctio inter canonicos absentes et intere-sentes, sicque etiam cessat jus accrescendi: nam interessentibus debetur solum sua portio determinata, absentibus vero nihil. Garcias cit. part. III. cap. II. n. 443. et 444. ac seqq. allegans multiplicem declarationem sacrae congregationis concilii. Barbosa, d. cap. xxii. n. 16; Pirhing, h. t. num. 101.

184. *Concordatur decretum concilii Tridentini, sess. 22, cap. III. de Reform. cum alio ejusdem decreto, sess. 21, cap. I. de Reform.* — Dices. Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. III. *de Reform.* expresse decrevit, ut distributiones propter intermissum debitum personale servitium amissae, « fabricam Ecclesiae, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii applicentur: » ergo hæc non accrescunt aliis clericis praesentibus. Resp. Licet in concordando isto decreto concilii Tridentini, cum alio ejusdem concilii decreto, quo sess. 21. cap. III. *de Reform.*, distributiones quotidianae jubentur inter divinis interessentes proportionaliter dividi, non nihil variant doctores; ut videre est apud Barbosam cap. xxii. *de Canonic. et dignitat.* n. 14. ac seqq.; Navarrus, *Miscell.* 59. *de Oration.* n. 9, Garcias, d. part. III. cap. II.

n. 459. 460 et seqq. Cæteris tamen opinionibus dimissis, et conformiter diversis declarationibus sacrae congregationis concilii, per eundem Garciam loc. cit. n. 465. relatis, videtur dicendum, quod concilium d. sess. 21. cap. III. *de Reform.* loquatur de distributionibus ordinariis, ac proprie dictis, quæ usque ad tertiam partem fructuum a canonicatibus, et portionibus, de necessitate detrahi debent, ubi nullæ, vel nimis tenues reperiuntur distributiones quotidianæ, prout ibidem præcipitur: tales enim distributiones, quæ amittuntur per absentes accrescunt praesentibus, cum sint constitutæ de communibus fructibus pro servitiis communiter obsequendis ab omnibus. At vero sess. 22. capit. III. *de Reform.* idem concilium Tridentinum loquitur de distributionibus quotidianis extraordinariis, ac impropriis, quæ nimirum per episcopum usque ad tertiam partem deductæ fuerunt ex particularibus dignitatibus, personatibus et officiis, etiam non ex necessitate, sed in odium absentium: nimirum, ut ejusmodi dignitates, personatus, vel officia obtinentes, si debite divinis officiis non interessent, nec personaliter competens sibi servitium præstarent, per earum amissionem singulis vicibus punirentur. Et quia hæc distributiones non de fructibus communibus, ut priores; sed de redditibus particularibus dignitatum, personatum, vel officiorum constituuntur, lucrificandæ ab illis solis, qui eas dignitates, personatus vel officia obtinent, ac servitium sibi competens personaliter præstant; alias vero per eos amittendæ. Hinc cessat ratio, cur hæc cæteris clericis interessentibus accrescant, eo quod non sint detractæ de communibus fructibus: ac proinde, si per negligentem absentiam amittantur, merito vel fabricam Ecclesiae, vel alteri pio loco, arbitrio episcopi applicari debent. His adde declarationem sacrae Congregationis concilii n. 182. in fin. relatum.

§ VII.

DE CASIBUS, IN QUIBUS CANONICI ABSENTES
LUCRANTUR DISTRIBUTIONES QUOTIDIANAS.

85. *Generatim loquendo, ut canonici absentes lucrarentur distributiones, requiritur justa causa absentiae, et licentia ordinarii, seu praelati.* — Quæritur I. Utrum aliquando, et praesertim ratione infirmitatis, canonici a choro absentes lucrarentur distributiones quo-

tidianas? Resp. I. Generatim loquendo, ut canonici absentes a personali servitio suae ecclesiae lucrarentur fructus, et distributiones quotidianas, duo copulative requiruntur; videlicet, justa causa absentiae, et licentia ordinarii, seu praelati. Ita Glossa c. *Relatum. ¶ Prælatorum.* et Abbas ibid. n. 1. h. t. et notat Barbosa part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 153. allegans Rotam in una Leciensis fructuum, 21 april. 1603. coram card. Pamphilio; Angelus in *Summa ¶ Clericus.* 7. n. 3; Garcias, part. III. *de Beneficiis*, cap. II. n. 10. et alii.

186. *Dantur nonnulli casus, in quibus canonici sic absentes lucrantur distributiones quotidianas.* — Resp. II. Dantur nonnulli casus, in quibus canonici ex juxta causa, ac de licentia ordinarii, seu praelati absentes, licite recipiant, atque lucrantur distributiones quotidianas. Ita communis omnium; atque patebit inductione, enumerando hujusmodi casus. Et quidem spectato jure communi, seu constitutione Bonifacii VIII. relata cap. un. h. t. in 6. et innovata per concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* excipiuntur tres principales casus, in quibus canonici absentes fruuntur distributionibus quotidianis; nempe illi, « quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret. » Hæc ibi. Et quidem loquendo de istis casibus singulatim.

187. *Sic accidit ratione infirmitatis; et cur?* — Resp. III. Ratione infirmitatis debentur absentibus distributiones quotidianae, quando infirmitas est talis, quæ a celebratione divinatorum officiorum excusat, arg. c. *Significatum.* 11. *de Præbend.* ac notat Glossa cit. cap. un. *¶ Infirmitas.* h. t. n. 6. Quia enim afflicto non est addenda afflictio, c. *Ex part. 5, de Clerico ægrot.* Et alioquin, si ob supervenientem ægritudinem clerici destituerentur victualibus, seu distributionibus quotidianis, ob hujus timorem forte non posset, qui militaret ecclesiae, reperiri, cap. I. cod. Hinc merito infirmitas excusat canonicos ab interressentia divinatorum officiorum, absque amissione distributionum quotidianarum.

188. *Adeo, ut tempus infirmitatis non sit computandum pro tempore vacationum, seu trium mensium. Et quid, si canonicus, dum abest in tribus mensibus, infirmetur?* — Et hoc adeo procedit, ut tempus, quo canonicus fuit infirmus, non sit computandum pro tempore vacationum (hoc est, duorum aut trium

mensium, quibus juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XII. *de Reform.* abesse potest) prout sacram congregationem declarasse, refert Fagnanus c. *Licet.* n. 140. *de Præbend.* Ita tamen, ut si canonicus, dum abest in tribus mensibus a concilio permis- sis, in morbum incidat, distributiones illius temporis, sive trimestrales non lucretur: si- quidem ægritudo tunc non esset causa non interessendi, cum jam antea vacasset a ser- vitio ecclesiæ. Quod si vero ultra tres men- ses morbus perdurasset, ab eo tempore dis- tributiones non forent ipsi subtrahendæ: quia, cum ante hæc solitus fuisset interesse divinis, verisimiliter expletis tribus mensibus vacationis, ad servitium chori redisset, nisi infirmitas fuisset causa non interessendi. Et hoc ipsum declarasse sacram congregatio- nem concilii, refert Fagnanus loc. cit. n. 149.

189. *Predicta procedunt etiam nulla probata, vel existente consuetudine, dandi infirmis distributiones in absentia.* — Cæterum data conclusio procedit non solum stante, et probata consuetudine, dandi infirmis distribu- tiones in absentia; sed etiam nulla probata, vel existente tali consuetudine: prout contra Philippum Franchum cit. cap. un. h. t. in 6. concludit Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Ergo contrariam*, et Fa- gnanus c. *Licet.* n. 136. et 137. *de Præbend.* asserens, ita servare Curiam.

190. *Dummodo non absit consuetudo in con- trarium: hæc enim valida foret. Idem dicen- dum de consuetudine legitime præscripta non dandi distributiones absentibus ex cæteris cau- sis, cap. un. h. t. in 6. contentis.* — Intellige, dummodo non adsit consuetudo in contra- rium. Nam hæc stante secus foret dicendum. Sic quippe, ut refert Garcias, part. III. *de Be- neficiis*, cap. II. n. 361. Sacra congregatio concilii declaravit, his verbis: « Consuetudo in aliqua ecclesia introducta, ut canonici in- firmi fructus tantum suæ præbendæ, non distributiones quotidianas percipiant, si legi- time præscripta sit, tollit constitutionem: » illam videlicet, qui habetur, cap. un. h. t. in 6. Atque ad hoc requiritur consuetudo, qua- draginta annorum spatio præscripta: prout notat Garcias cit. n. 361. post Vegam in *Summa*, part. I. cap. CXXVIII. cas. 49. et Aze- vedo consil. 21. n. 4. et consil. 24. n. 31. Et hoc ipsum est dicendum de consuetudine alicubi legitime præscripta, et probata, se- cundum quam absentes ob cæteras causas,

in cit. cap. un. h. t. in 6. contentas, distribu- tiones non percipiunt: valida quippe existit talis consuetudo, arg. cap. ult. *de Consuetud.* cum similibus, et rursus dicitur infra n. 197.

191. *Solum statutum capituli, seclusa con- suetudine, non obstat, quominus absentibus ex causa infirmitatis, etc., dandæ sint distribu- tiones.* — Solum vero statutum capituli; seclusa videlicet consuetudine legitime præscripta, non obstat, quominus absentibus ex causa infirmitatis, vel alia quacunque causa, dan- dæ sint distributiones. Præterquam enim tale statutum capituli, utpote factum contra jus commune, cap. un. h. t. 6. nullius sit roboris: illud etiam non esse confirman- dum, cum sit contra bonum ecclesiæ, ob ra- tiones n. 287. allatas, censuit sacra congre- gatio; prout refert Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 138. *de Præbend.* Cur autem contra jus com- mune et sacros canones valeat consuetudo, non item statutum inferiorum, dictum est supra lib. I. tit. IV. *de Consuetudine.* § 4. n. 11.

192. *Tunc solum canonico infirmo debentur distributiones, quando cum esset sanus, consue- verat interesse divinis: alias secus.* — Resp. IV. Nihilominus proxime data conclusio tunc solum procedit, quando canonicus infirmus, dum esset sanus, consueverat interesse divi- nis officiis: alias secus. Ita Abbas c. *Ad au- dientiam.* n. 5. h. t.; Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Sexto*; Felinus c. *Apostolicæ.* n. 12. *de Exception.* dicens, ita tenere omnes; Joan. Gutierrez *Canonicar. Question.* lib. I. cap. I. n. 138. et 139. Ubi proinde dictam conclusionem intel- ligi, quando infirmus est præseus in loco, ubi est ecclesia: alioquin enim etiam sanus, hoc ipso, quod si absens, non interest divi- nis: quod tamen intellige conformiter dictis n. 18. *de Præbend.*; Barbosa, cap. un. n. 16. h. t. in 6. et cap. XXIV. *de Canonic. et Digni- tat.* n. 36. et part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 53. n. 167. alique communi- ter. Ratio est, quia tunc demum infirmitas excusat absentem, præbetque justam cau- sam percipiendi distributiones, quando fuit solummodo contingit in illo ægro canonico, qui dum sanus erat, solitus fuit interesse divinis; alioquin enim, sic nec sanus inte- resse solebat, infirmitas non præstaret impe- dimentum. Atque ita tenuisse Rotam in una *Hispal. distributionum.* 2 maii 1603, coram

Rev. D. Coccino, refert Barbosa cit. allegat. 53. n. 167.

193. *Quæ infirmitas sit sufficiens ad effec- tum recipiendarum distributionum, iudicis ar- bitrio relinquitur. Enumerantur nonnullæ tales infirmitates.* Resp. V. Quæ infirmitas sit di- cenda sufficiens ad effectum recipiendarum distributionum in absentia, iudicis arbitrio est relinquendum. Ita Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.* cas. 60. n. 5; Barbosa d. cap. XXIV. n. 28. et alii. In quo quidem puncto oportet attendere, an infirmitas sit talis, quæ causet damnum, vel aggraves morbum, si infirmus exeat domo, atque divinis intersit, nec ne. Sic excusantur, atque distributiones ratione infirmitatis percipiunt, qui vel om- nino ecclesiam accedere nequeunt, ut debi- lis cruribus, seu tibiis, laborans podagra, cæcus, et hujusmodi: vel saltem non pos- sunt accedere chorum sine vitæ periculo, aut aggravatione morbi; circa quod multum operatur iudicium conscientiosi, et periti medici. Item, si quis lepra, vel alio morbo contagioso correptus, non audeat chorum fre- quentare, vel etiam cogitur ab urbe disce- dere: aut si causa sanitatis ad balnea, vel alium locum de licentia ordinarii se confe- rat. Barbosa, ubi supra; Fagnanus cit. c. *Licet.* n. 144. et seqq. *de Præbend.* et alii ab his citati.

194. *Ratione infirmitatis lucratur canonicus distributiones, licet propria culpa in eam inci- derit.* — Atque istud procedit, etiamsi quis propria culpa in morbum inciderit: nam etiam tali debentur distributiones, postquam vera infirmitate præpeditus, divinis persona- liter interesse non potest; tum quia cap. un. h. t. in 6. indistincte excipitur infirmitas; tum quia in hoc etiam casu, morbi impedi- mentum a DEO provenire solet, c. *Cum in- firmitas.* 13. *de Pœnitent. et remission.* Atque, ut inquit sanctus Gregorius, can. *Cum per- cussio.* 7. q. 1. relatus: « Cum percussio cor- poraliter imminet, utrum pro purgatione, an vindicta contingat, Dei in hoc iudicium igno- ratur: et ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio. » Et ita tenet Fagnanus d. c. *Licet.* n. 147. *de Præbend.* allegans decla- rationem sacre congregationis concilii, at- que approbationem Gregorii XIII; Covarru- vias, cit. lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. vers. *Septimo distributiones*; Barbosa cit. cap. un. n. 15, h. t. in 6, et allegat. 53. n. 168; Azorius, part. II. lib. VII. cap. VII. quæst. 11. ubi idem dicit de eo, qui ex culpa

vulnus accepit; et alii: quidquid apud ci- tatum Covarruviam contradixerit Philippus Probus, cap. un. n. 17. h. t. in 6.

195. *Canonicis absentibus debentur distribu- tiones, quando eos justa et rationabilis corpora- lis necessitas excusat.* — Quæritur II. An, et quando canonicis, ob rationabilem corpora- lem necessitatem, vel evidentem ecclesiæ utilitatem absentibus, debeantur distribu- tiones quotidianæ? Resp. I. secundus casus, in quo canonicis absentibus debentur distribu- tiones quotidianæ, est ille, si eos « justa et rationabilis corporalis necessitas excuset. » Textus est in cit. cap. un. h. t. in 6. Ubi no- mine *Corporalis necessitatis* intelligunt docto- res varia. Primo si canonicus potionem me- dicam, sive medicinam sumpsit, vel sanguine minutus est. Joan. Andreas ad cit. cap. un. n. 1. et Ancharanus, ibid. n. 2. h. t. in 6; Fagnanus c. *Licet.* n. 150. *de Præbend.* asse- rens, istud sequi cæteros omnes.

196. *Et quid nomine Corporalis necessitatis intelligatur?* — Deinde nomine corporalis necessitatis intelligitur casus ille, quo quis injuste in carcerem mittitur; vel inique ex- communicatus, postea per sententiam absol- vitur: aut si quis expulsus e civitate propter seditiones, absque sua culpa divinis interesse non potest: talis enim integre debet perci- pere distributiones quotidianas; Barbosa cit. cap. un. n. 17. h. t. in 6; Fagnanus, loc. cit. n. 151. et 153. et alii. Quinimo Joan. An- dreas cit. n. 1. vers. *Vidi jam*, istud ad eos, qui propter partialitates in ecclesiis, vel ip- saram civitatibus, morari non audent: nam cum necessitas proprii corporis tuendi illos teneat absentes, ex quo in culpa non sunt, satis videntur sub hac exceptione includi, ac proinde percipere distributiones in ab- sentia.

197. *An ad istud requiratur consuetudo, dandi absentibus ex justa causa distributiones quotidianas?* — Addit quidem Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 8. §. *De- cimo*, istud verum esse, ubi consuetudo defi- nit, quod absentibus ex iuxta causa, den- tur distributiones quotidianæ. Verum merito hæc limitationem reprobat Fagnanus loc. cit. n. 152. Quia (inquit) in cap. un. h. t. in 6. sub eodem contextu, ac unica verborum structura, excipitur « infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiæ utilitas: » ergo textus ille debet singulos hosce casus æqualiter determinare, l. *Quamvis c. de Impub.* et l. *Jam hoc jure.* ff.